

siam: & colligitur ex *Act. Apost. 15.* ubi Apostoli in primo Ecclesie Concilio congregati statuta perpetua pro tota Ecclesia sanxerunt. Concilia Provincialia, vel Synodalia gaudent etiam potestate leges condendi pro suis Provinciis, aut Diocesisibus. Declarationes Sacrae Congregationis Cardinalium factae auctoritate Pontificis, & latae authentica declaratione, probabilis habent vim legis. Præterea Capitula Ecclesie Cathedralis possunt in Sede vacante, ferre leges, habentes vim obligandi, donec a successore Episcopo, vel ab ipso Capitulo in alia sede vacante, revocentur: quia succedunt dicta Capitula Ecclesie Cathedralis (non Collegiatae) in administratione temporali, & spirituali totius Diocesis.

72. Denique in Congregationibus Religiosis, in quibus datur jurisdictio spiritualis a Pontifice concessa, reperitur etiam potestas legislativa. An autem hæc resideat apud Patrem Generalem, Provinciale, vel alios Prælatos, pendet ex particularibus Constitutionibus ejusque Religionis. In nostra solum potest Capitulum Generale leges ferre ex dispositione Constitutionum 3. *part. cap. 4. §. 4.* Quod non tollit singulos Prælatos posse præcepta imponere obligantia in conscientia, eo modo, & forma, qua in singulis Religionibus taxatur. Oppor- tet autem præcepta formalia esse per pauca, ne loco remedii laquea parentur, & ne dulcedo regiminis rigore amarescat.

### CAPUT III.

*De obligatione, quam lex ex natura sua inducit.*

Cum de ratione legis sit obligare subditos ad sui executionem, videndum est, qualis sit ipsa obligatio in lege positiva humana, nam de divina, & naturali nemo ambigit, obligare in conscientia.

### PUNCTUM I.

*De obligatione legis humanae.*

73. Inq. 1. An omnis lex humana obliget in conscientia? R. affirm. *Const. ex Apost. ad Rom. 13. Qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit.* Unde concludit Apost. debere subditos obedire Superioribus non solum propter iram, sed propter conscientiam. Princeps enim, aut Superior juste imperans, nomine Dei imperat juxta illud: *Qui vos audit, me audit; & qui vos spernit, me spernit.* Lucæ 1. *Per me reges regnant, & legum Conditores justa decernunt.* Prov. 8.

74. Ex hac doctrina inferitur nullam dari legem vere talem, quæ vim obligandi in conscientia non habeat, ac proinde non esse vere legem, aut præceptum, si non imponat obligationem in conscientia, saltem ad poenam: quia si lex est justa, & rationabilis, procedit a Superiori, ut tali imperante, & jubente: erg. ut imponente obligationem: quia impossibile est præceptum esse justum, & quod illi parere subditi non teneantur; quapropter, ut supra diximus, lex a ligando dicitur: quia ligat subditorum conscientias ad ipsius observationem.

75. Objic. 1. Jus Gentium est vere lex, sive pertineat ad legem naturalem, sive ad positivam; & tamen non obligat in conscientia ad observandum ea, quæ sunt statuta per ipsum, ut homines in bello captos in servitutem redigere, bella movere adversus occupantes terras proprias, & alia, quæ non obligant in conscientia: erg. non est de ratione legis obligare in conscientia.

76. R. Quod jus Gentium quoad enumerata, & alia similia, solum est lex permissiva respectu victoris, reducendi scilicet victum in servitutem, quod ad placitum renuntiare potest. Sed si velit stare juri, nullus potest eum turbare, & in hoc sita est tota vis obligandi juris Gentium. Sicut Privilegia, quæ secundum aliquos, sunt vere leges, possunt renuntari, si sint personæ singulares, & tamen obligant alios, ne perturbent utentes privilegia sibi concessis.

Ob-

77. Objic. 2. Dantur in Religionibus plures constitutiones, quæ non obligant in conscientia, ut D. Th. 2. 2. q. 186. art. 9. ad 1. refert de constitutionibus Prædicatorum, & ex nostris patet 1. *part. cap. 1. n. 7.*: erg. non est de ratione legis obligationem inducere in conscientia.

78. R. Constitutiones Religionum, quæ veteres leges fuerint, obligant in conscientia ad culpam, vel ad poenam in eis taxatam, si vero aliqua dentur, quæ neque ad culpam, neque ad poenam obligent, reductive pertinent ad legem, & sunt quædam directiones institutæ ad bonum commune. Advertas etiam adhuc de legibus, quæ ad solam poenam obligant, fere nunquam violari, nisi aliqua culpa intercedat, vel propter negligentiam, vel passionem, ut alium affectum inordinatum. Ut ibidem ait D. Thom.

79. Inq. 2. An leges injustæ obligent in conscientia? R. Quod per se non obligant, per accidens vero queunt obligare. Primum patet, si enim sunt certo injustæ, quia procedunt a non habente legitimam potestatem, vel quia jubet aliquid illicitum, minime obligant, ut ex se liquet. Verum per accidens possunt obligare, ut si lex communiter putaretur justa, & non esset contra bonum naturale, aut divinum: ut ait D. Thom. 1. 2. q. 96. art. 4.

80. Inq. 3. An leges alias justæ a Principe Tyranno latae obligent in conscientia? R. Principem posse dici Tyrannum, vel gubernatione, vel usurpatione. Si primo modo sit tyrannus, leges ejus obligant in conscientia: quia est legitimus Superior. Si fuerit tyrannus per usurpationem Regni, & sit in pacifica possessione, etiam ejus leges abs dubio observandæ sunt: quia licet a principio Regnum tyrannice acquisierit, jam possidet potestatem Regnum gubernandi. Si autem leges ferat, dum actualiter aggreditur, & persistit in usurpatione Regni non sibi competens, populo arma adhuc adversus eum stringent, tunc sicut caret legitima potestate, ita nullius roboris sunt illius leges, nec ullus tenetur eas observare.

81. Nota tamen, quod quando Republica, licet involuntarie, & quia non po-

Tom. I.

test tyrannum repellere, arma deponit, eumque Regno potiri permittit, non peccare tyrannum leges in bonum commune ferendo: quia licet Republica coacte, & involuntarie consentiat in usurpatione tyrannica, hac supposita, concedit illi facultatem, ut leges congruentes ad sui conservationem, & tranquillitatem ferat: hoc autem non tollit illum peccare usurpando, & retinendo Regnum, usque dum illud licite possideat.

### PUNCTUM II.

*Unde colligendum sit leges sub gravi, vel levi obligare.*

82. R. Obligationem legis ex voluntate legislatoris pendere; & voluntas legislatoris ex ejusdem verbis colligenda est. Si exprimat se velle obligare ad poenam, & non ad culpam; aut obligare quoad unam partem, & non ad aliam, illius intentioni standum est. Verba autem, quæ imperium, aut præceptum indicant, communiter sunt sequentia: *Jubeo, mando, præcipio, impero, prohibeo, volumus, decernimus, statuimus, non liceat facere, omnia quæ teneantur, aut obligentur*, & omnia quæ præceptum important, vel in actu exercitio continent. Alia autem verba, quæ non explicant intentionem obligandi, sed simplicem voluntatem: ut *rogamus, hortamur, monemus, suademus*, & similia, non habent vim præcepti, nec afferunt obligationem in conscientia.

83. Obligatio igitur gravis, aut levis legis, vel præcepti nequit sufficienter colligi ex sola intentione legislatoris, neque ex sola materia præcepta, neque ex solis verbis, sed venanda est ex his omnibus, & ex pena imposita transgressoribus, & etiam ex consuetudine Regionis, in qua lata est lex: nam consuetudo, præsertim timoratorum, optima interpret legum est. Unde si verba legislatoris expriment præceptum in materia gravi, vel imponat poenam similiter gravem, recte deducitur velle inducere obligationem gravem, quia lex ex genere suo, supposita materiae gravitate, gravem imponit obligationem: nisi aliunde de opposita intentione legislatoris expresse constet.

P

Ca-

84. In. 1. An Legislator humanus valeat præcipere materiam levem sub gravi? R. Non posse legislatorem humanum efficere, quod lex ab eo lata circa materiam levem, quæ omnibus inspectis sit talis, obliget ad mortale; quia materia levis in se incapax est gravis obligationis, & alias nequit provenire ex intentione mandaatis: eo quod tale mandatum esset prorsus injustum, & inutile. Diximus: *si omnibus inspectis sit materia levis*: quia si plurimum conducit ad finem intentum a Legislatore, tunc potest præcipi sub gravi obligatione.

85. Inq. 2. An possit præcipi materia gravis sub culpa levi? R. affirm. Quia tota legis obligatio ex legislatoris voluntate pendet. Unde licet materia sit capax majoris obligationis potest a legislatore, coartari, ut ad levem tantum culpam obliget. Et ideo in pluribus Religionibus dantur leges, solum ad culpam levem obligantes, esto circa gravem materiam versentur. Ut Regula nostra primitiva, quæ gravissimas materias continet, ut abstinentiam perpetuam a carnibus, jejunia septem mensium solum obligat sub veniali, ut asseritur in nostris Constitutionibus 1. p. cap. 1. n. 6. Quam esse vere legem, dubitari non potest, cum sit ab habente potestatem illam condendi lata, & confirmata a Sede Apostolica.

86. Objic. 1. Legislator humanus nequit præcipere materiam levem sub gravi: erg. nec gravem sub levi. R. Quod si materia consideretur levis ex omni capite, non est capax obligationis gravis; attamen si ex aliqua parte multum conducit ad finem honestum, potest a Legislatore præcipi, aut prohiberi sub gravi: qua ratione in Religionibus res ex natura sua leves prohibentur sub gravi a Prælati, ut ingressus cellularum; sicut et contra ob rationabile motivum plura ex se gravia possunt præcipi, & de facto præcipiuntur sub levi, ut dictum est.

87. Objic. 2. Obligatio sequitur, ut proprietas naturam legis: erg. licet sit in potestate legislatoris legem condere, vel non, semel tamen ab ipso condita, non est in ejus potestate, quod non obliget: erg. nec quod taliter obliget, nisi juxta quantitatem materiæ. R. Quod licet obligatio in genere sit de ratione

legis, quod vero sit tanta, vel tanta ad illius rationem non exigitur: verum est, quod in phisicis non est in potestate agentis impedire passionem, aut intentionem, quam exigit necessario ex intentione naturæ; cæterum in moralibus, quæ ex operantis libertate pendunt, potest ipse ob rationabilem causam taxare, & facere, quod sint obligationis levis ea, quæ alias gravis erant capacia.

## P U N C T U M III.

Unde colligenda sit materia gravitas?

88. R. Pro cognoscenda gravitate materiæ tres regulæ communiter assignantur. *Prima*: Quando res præcepta multum conducit ad caritatem Dei, aut proximi ex genere suo graviter obligat; e contra si actus imperatus parum ad talem finem conducit, tantum erit materia levis. Ex qua Regula sequitur leges humanas, quæ Deum credendum, sperandum, amandum, colendum, aut proximi dilectionem, justitiam, atque legum divinarum observantiam præscribunt, ex genere suo graviter obligant.

89. *Secunda*: Leges, aut præcepta, quæ leves materias jubent, inspicere debent, non ex sua materia dumtaxat, sed ut comparata ad bonum commune, & finem earundem legum. Finis legis Ecclesiasticæ est salus æterna animarum. Finis proximus legis Monasticæ est trium votorum observantia. Finis legis civilis est pax, & tranquillitas Civium. Quæ ergo summopere huic fini conducunt, graviter obligant, etiamsi absolute, & ex natura sua res leves essent. Quæ vero parum in hunc finem conferunt, levis materia computatur. Ex qua regula sequitur, quod licet canales purgare, vel vicus Civitatis verrere, arma portare, & similia sit ex se materia levis, possunt cadere sub præcepto graviter obligante, quia multum possunt conducere, ne aer corrumpatur, & ad sanitatem, & tranquillitatem, & pacem. Similiter, ut puncto præcedenti diximus, aliqua ex se levia, ut ingressus cellularum, graviter prohibentur in Religionibus, quando plurimum conducunt ad majorem observantiam, & perfectionem. In dubio autem an parum, vel multum materia impera-

## P U N C T U M IV.

Quomodo materia levis per continuationem, & contemptum fiat gravis?

ta ad finem legislatoris conducit, standum est in favorem Superioris, & judicandum legem obligare graviter.

90. *Tertia regula*: Quando materia de se gravis est divisibilis, tunc licet afferat secum obligationem gravem, admittit tamen parvitatem materiæ, ut in furto, detractio, & aliis. At vero, quando indivisibilis est materia gravis præcepti, tunc non potest dari parvitas, sed semper est grave peccatum quolibet fractio illius deliberata: quia tota ratio formalis illius speciei, integra, & indivisibilis in qualibet materia, etiam minima, reperitur: ut in hæresi, desperatione, odio Dei, juramento assertorio, blasphemia, simonia, jejuniis naturali ad Eucharistiam, luxuria, contemptu formalis legis, aut legislatoris, infidelitate, materiis, & formis Sacramentorum, in ætate requisita ad Ordines, & Professionem in Religione, & similibus.

91. Notari oportet, quod quando materia divisibilis est, non est inspicienda ipsa solitarie accepta, sed comparative ad subjectum, & ad præceptum: nam datur materia, quæ absolute spectata, semper gravis evadit, ut furtum decem aureorum, quod respectu omnium gravis materia censenda est; e contra materia levis est etiam per se respectu omnium, furtum unius assis: & dicimus *per se*: quia per accidens potest esse materia gravis ratione damni. Similiter ommissio decem psalmodum est materia gravis etiam respectu ejus, qui ex præcepto teneretur recitare totum Psalterium; sed ommissio unius salutationis Angelicæ est levis respectu omnium. Igitur inter has duas materias, aliam absolute gravem, aliam absolute levem, datur media, quæ bene dicitur *respectiva*: quia respectu unius præcepti levis judicatur, & gravis respectu alterius: Ut ommissio duorum psalmodum respectu unius horæ canonicæ minoris est materia gravis, & respectu imperantis totum psalterium erit levis. Similiter in materia justitiæ furtum, quod respectu divitis esset leve, respectu pauperis potest esse grave, & sic de aliis.

92. R. Quotiescumque materiæ parvæ moraliter uniantur, constituunt materiam gravem, sicut plures parvæ quantitates unitæ efficiunt magnam quantitatem; tunc autem materiæ parvæ habent moralem unionem, & efficiunt gravem materiam, quando uniantur vel *in ordine ad præceptum*, vel *in ordine ad diem*, vel *in ordine ad effectum*, vel denique *ad subjectum*. Declaratur exemplis: *In ordine ad præceptum*, ut qui in officio divino omitteret in singulis horis materiam parvam, quæ junctæ gravem efficerent. *In ordine ad diem*, ut qui in die jejunii sæpius cibum sumeret in parva quantitate, vel qui in die festo laboraret per plures morales, quæ continuantur moraliter ratione temporis, & diei. *In ordine ad effectum*, ut quando plures conveniunt ad furandam rem alienam unius Domini, singuli in parva quantitate uniantur enim in effectu, hoc est, in nocimento rei gravis. *In ordine ad subjectum*, ut quando unus a pluribus habet parvas quantitates, quæ uniantur in subjecto, quod retinet rem alienam in magna quantitate. Et ita peccant graviter venditores, qui plures in materia parva defraudant, quando ex omnibus materia gravis coalescit.

93. Discontinuantur autem moraliter materiæ ratione diversi diei, distincti præcepti, aut distincti subjecti, aut effectus. *Ratione diversi diei*, ut si in diversis jejuniis diebus modicum quis cibum accipiat: vel diversis diebus festivis parum temporis labore: nam etsi in omnibus una materia gravis coalesceret; tamen ob diversitatem diei discontinuantur, & non uniantur moraliter. *Ratione distincti præcepti*, ut si teneris eodem die ad jejuniium, auditionem Sacri, & horas Canonicas: si parvam quantitatem in quolibet ommittas, solum committis peccatum veniale, quia licet in die conveniant, ex diversitate præceptorum discontinuantur. *Ratione diversi subjecti*, ut si plures, nulla conventionem præcedente, parum ab eadem vinea, vel prædio auferunt: quia licet

cet uniantur in effectu, discontinuantur in subjectis, quæ supponuntur nullatenus influere in furtum alterius. *Ratione effectus* discontinuantur, quando plures a pluribus parva surripiunt.

94. Sed inq. An si quis votum emittat recitandi semel, aut iterum salutationem Angelicam, vel dandi parvam eleemosynam, & toto anno illud omitteret; uniantur moraliter illæ materiæ ad constituendum unum grave peccatum? R. Quod si dies est assignatus pro termino præfixo obligationis (quod in votis personalibus semper præsumitur, nisi aliud ex intentione constet) illæ materiæ non continuantur moraliter ad constituendam materiam gravem: quia est onus diei: & in illo die finitur. Si autem dies non sit assignatus pro termino obligationis (quod in votis realibus frequenter contingit, ut in voto dandi eleemosynam singulis diebus) tunc materiæ illæ parvæ continuantur moraliter: quia non finitur illo die obligatio, sed transit in crastinum: unde in ultima ommissione constituente cum aliis materiis gravem, graviter delinquitur.

95. Secus est, si promissio facta sit in honorem alicujus diei, quia tunc sicut est onus diei, transacto die, cessat, quod ubi non constat de intentione votantis, semper præsumitur, quando expresse nominatur talis dies. Ut si quis promissit jejunare singulis sabbatis, vel dare eleemosynam. Si quis habeat plura vota de diversis, & ex motivo proximo distincto, & singula in materia parva transgreditur, non peccat mortaliter, quia parvitates illæ non uniantur moraliter, sed quælibet ex illis est separata, & distincta.

96. Etiam ex contemptu, materia levis potest fieri gravis. Contemptus potest esse, vel rei præceptæ, vel legis, vel ipsius legislatoris. Contemptus, sicut & inobedientia potest esse duplex: *materialis*, seu *generalis*, & *formalis*, seu *specialis*. Contemptus, & inobedientia *generalis* datur in quolibet peccato, quod sicut est fractio legis, ita est inobedientia, & contemptus ipsius legis, quod est generale omnibus peccatis. Contemptus vero *specialis*, præter fractionem legis, importat motivum parvipe-

dendi legem, vel Legislatorem, ut talem, ut dum quis non vult obedire legi, quia parvi illam æstimat, & ex motivo parvi pendendi ipsam legem, & sic ex formali deestimatione legis ipsius, & consequenter Legislatoris. Et sic contemptus formalis cum inobedientia formali coincidit, quia hæc consistit in eo, quod est nolle obedire præcepto, eo quod præceptum est. Unde contemptus hic includit specialem inobedientiam in confessione detegendam, Vid. D. Th. 2. 2. q. 104. a. 2.

97. Hinc fit, quod contemptus formalis legis, ut lex est, vel Legislatoris, ut talis, sive sit divinus, sive humanus in quacumque parva materia, semper est peccatum lethale; & quidem si divinus sit legislator, & lex divina, vel naturalis, patet: quia parvi pendere majestatem Dei, illiusque præcepta contemnere in quacumque materia, blasphemia est, & grave peccatum. Quoad Legislatorem humanum probatur: quia contemptus Superioris, ut Superior est, ejusque legis, ut lex est, in Dei contemptum redundat juxta illud: *Qui vos spernit, me spernit*: erg. erit peccatum mortale in quacumque materia.

98. Si autem quis violet præceptum, vel legem non ex contemptu ipsius legis, aut Legislatoris, sed ipsius rei præceptæ: tunc non est contemptus formalis, sed materialis, & peccavit secundum gravitatem materiæ. Similiter si quis nolit obedire Superiori propter indignationem, seu repugnantiam ad ipsum, vel propter contemptum ipsius, non ut Superior, sed ut talis persona, v. g. quia indoctus, aut imprudens, non erit contemptus formalis. Raro itaque committitur peccatum formalis contemptus, cum vix unquam despiciatur Superior, ut talis. Ex frequentia tamen transgressionis legis potest induci dispositivè contemptus virtualis, seu interpretativus, ut inquit Ang. Doct. 2. 2. q. 186. artic. o. ad 3.

**Р р е к с т у м V.** De obligatione legis pœnalis.

§. I. De obligatione legis pœnalis.

99. Inq. Quotuplex sit lex pœnalis? R. Duplex, nempe *pure pœnalis*, & *mixta*. *Lex pœnalis*, & *præceptiva*. *Lex pure pœnalis* dicitur, quæ utitur verbis solum pœnam taxantibus: ut qui talia arma portaverit, ea amittat. Et licet utatur verbis præceptivis, nempe *jubemus, mandamus*, si tamen legislator exprimit se nolle ad culpam immediate obligare, etiam erit *pure pœnalis*, ut patet in nostris constitutionibus, & aliarum Religionum. *Lex pœnalis mixta* est, quæ includit præceptum, & pœnam, ut si dicat: *præcipimus, vel prohibemus, ne hoc, vel illud fiat sub tali pœna*.

100. Pœna alia est *positiva*, scilicet, quæ actionem, vel passionem importat: ut flagellatio. Alia *privativa*, quæ in privatione alicujus boni præcise consistit, ut excommunicatio. Alia est *mixta expositiva*, & *privativa*, ut est illa, quæ partim actionem, vel passionem includit, partim privationem boni: ut solutio tantæ pecunie, reuaciacio beneficij. Ex his pœnis alie sunt *spirituales*, quæ bonis spiritualibus ad finem supernaturalem conducentibus, privant; ut sunt censura, & irregularitates. Alie *temporales*, quæ solum circa temporalia exerceantur: ut exilium, aut carcer. Insuper alie sunt *latæ sententiæ*, alie *ferendæ*. *Latæ sententiæ* dicuntur, quia statim, ac actus exerceatur, incurrantur: Et accidunt, quando lex utitur his verbis: *qui hoc fecerit, sit excommunicatus: ipso facto: ipso jure: protinus, aut statim*. Tunc dicitur pœna *ferenda*, quando in lege habetur: *Qui hoc fecerit, excommunicetur, suspendatur, aut tali pœna plectatur*.

101. Inq. Quomodo obligent leges pœnales? R. 1. Leges, quæ sub pœna excommunicationis majoris ipso facto incurrenda, seu *latæ sententiæ* sanciuntur, obligare sub peccato mortali: quæ verò sub pœna excommunicationis minoris, obligare, vel ad mortale, vel ad veniale juxta gravitatem materiæ. Ratio est, quia excommunicatio major non incurritur, nisi ob peccatum mortale; excommunicatio minor incurritur etiam ob peccatum veniale.

102. Simiter sub mortali obligant leges, latæ sub pœna irregularitatis, suspensionis, & interdicti, quando interdictum, & suspensio sunt censuræ majores. Item leges sub aliiis pœnis spiritualibus degradationis, depositionis, & aliarum, quando sunt *latæ sententiæ*. Idem est de prædictis pœnis, quando sunt *sententiæ ferendæ*, taliter, quod delinquens debeat absque ulla monitione illa pœna puniri. Si autem monitionem requirat, & materia non sit gravis, tantum sub levi obligat.

103. R. 2. Leges mixtas, quæ assignant pœnas temporales, & simul præcipiunt, obligare sub peccato mortali ex genere suo, supposita gravitate materiæ, quia talis lex includit præceptum, & pœnam: erg. ad culpam, & ad pœnam.

Confrm. Quia per hoc, quod addatur pœna in lege, non minuitur vis obligandi; sed potius augetur, & roboratur: erg. lex mixta continens præceptum, vel pœnam, obligat secundum quantitatem materiæ, tam ad culpam, quam ad pœnam.

104. Objc. 1. Sufficit Legislatori humano ad suum regimen imponere pœnas temporales: ergo hoc ipso, quod eas imponat, videtur non obligare ad æternam.

R. Sufficeret forte Legislatori pœnam, si illam solam assignaret per lege in, tamen eo ipso, quod adjunct præceptum, etiam voluit obligare ad culpam, ad quam sequitur pœna æterna. Sed quia hæc pœnarum timoratos pluries non terret, voluit eos, etiam per pœnas temporales, coercere.

§. II. De obligatione legis pœnalis. Resolvitur dubium.

101. Inq. 1. Quomodo obligent leges pœnales? R. 1. Leges, quæ sub pœna excommunicationis majoris ipso facto incurrenda, seu *latæ sententiæ* sanciuntur, obligare sub peccato mortali: quæ verò sub pœna excommunicationis minoris, obligare, vel ad mortale, vel ad veniale juxta gravitatem materiæ. Ratio est, quia excommunicatio major non incurritur, nisi ob peccatum mortale; excommunicatio minor incurritur etiam ob peccatum veniale.

102. Simiter sub mortali obligant leges, latæ sub pœna irregularitatis, suspensionis, & interdicti, quando interdictum, & suspensio sunt censuræ majores. Item leges sub aliiis pœnis spiritualibus degradationis, depositionis, & aliarum, quando sunt *latæ sententiæ*. Idem est de prædictis pœnis, quando sunt *sententiæ ferendæ*, taliter, quod delinquens debeat absque ulla monitione illa pœna puniri. Si autem monitionem requirat, & materia non sit gravis, tantum sub levi obligat.

103. R. 2. Leges mixtas, quæ assignant pœnas temporales, & simul præcipiunt, obligare sub peccato mortali ex genere suo, supposita gravitate materiæ, quia talis lex includit præceptum, & pœnam: erg. ad culpam, & ad pœnam.

Confrm. Quia per hoc, quod addatur pœna in lege, non minuitur vis obligandi; sed potius augetur, & roboratur: erg. lex mixta continens præceptum, vel pœnam, obligat secundum quantitatem materiæ, tam ad culpam, quam ad pœnam.

104. Objc. 1. Sufficit Legislatori humano ad suum regimen imponere pœnas temporales: ergo hoc ipso, quod eas imponat, videtur non obligare ad æternam.

R. Sufficeret forte Legislatori pœnam, si illam solam assignaret per lege in, tamen eo ipso, quod adjunct præceptum, etiam voluit obligare ad culpam, ad quam sequitur pœna æterna. Sed quia hæc pœnarum timoratos pluries non terret, voluit eos, etiam per pœnas temporales, coercere.

Q 105.

105. Objic. 2. Consuetudo, quæ legis est legitima interpres, ita videtur interpretari has leges penales, præcipue civiles, de quarum transgressione vix ullus format scrupulum conscientiæ, sed omnes judicant, se solum ad poenas in eis taxatas obligari: ergo, non obligant in conscientia.

R. Quod si re vera staret consuetudo jam præscripta, quod lex aliqua poenalis ad poenam, & non ad culpam obligaret, tunc ex hac parte, qui illam violaret, lethaliter non peccaret: quia per talem consuetudinem esset derogata illa lex, quoad obligationem in conscientia. Cæterum quamdiu de tali consuetudine non constat, standum est pro lege, & jusque obligatione.

106. R. 3. Leges etiam pure penales, dum materia, & poena sunt notabiles, obligare in conscientia sub gravi, quia, ut supra diximus, nulla est vera lex, quæ non obliget in conscientia: ergo, dum versatur circa materiam gravem, obligat sub gravi, nisi aliud exprimat ipsa lex, aut Legislator.

107. Imo transgressor legis, imponentis poenas graves, nedum peccat graviter contra obedientiam, & justitiam legalem, sed etiam contra caritatem erga seipsum, ac suam familiam, vel suos, si quos habeat, quia exponitur noto periculo gravis damni proprii, & suorum ex solutione poenæ gravis. Quod verum est, etiam si adesset consuetudo legitime præscripta, quod aliqua lex poenalis ad poenam tantum, & non ad culpam obligaret: tunc enim licet non peccaretur præcise in transgressione legis; tamen peccaretur graviter contra caritatem propriam, & suorum ob dictum periculum, cui exponitur. Unde in nostra sententia similes transgressores duplex specie peccatum committunt.

108. Dices: Si omnes leges ecclesiasticæ, & civiles obligarent sub gravi, totus mundus peccatis gravibus repletur, cum leges, præsertim civiles, sint fere inanimatæ; hoc videtur valde durum: ergo, non est dicendum. R. Nos non asserere omnes leges obligare sub gravi, sed solum illas, quæ concernunt materiam gravem, & imponunt gravem poenam. Convenit quidem, quod leges humanæ, obli-

gantes sub gravi, sint perpaucæ, ne multiplicentur peccata gravia, & alias multo generatim plus terretur poena, quam culpa. Unde non omnes leges indiscriminatim, nec omnia in eis contenta obligant semper sub gravi.

109. Hæc doctrina est expressa D. Thom. 2. 2. q. 136. art. 9. ad 2. ubi ait: *Non omnia, quæ continentur in lege, traduntur per modum præcepti, sed quedam proponuntur per modum ordinationis cujusdam, vel statuti, obligantis ad certam poenam. Sicut in lege civili non facit semper dignum poena mortis corporalis transgressio legalis statuti, neque in lege Ecclesiæ omnes ordinationes, vel publica statuta obligant ad mortale.*

110. Si lex esset alternativa, vel disjunctiva v.g. *nemo extrahat frumenta à Patria, vel si extraxerit, solvat centum aureos*, solum adest obligatio ad unum ex duobus, vel ad non extrahenda frumenta; vel ad solvendo aureos. Nam ad ejus observantiam sufficit unam partem implere; sicut ad veritatem propositionis disjunctivæ sufficit unam partem esse veram, & in alternativis debitoris est electio, & sufficit alterum adimpleri ex regul. Juris 70. Qui neutram partem vellet observare, violator esset legis, & reus peccati.

111. Inq. 2. An leges tributorum, & vectigalium obligent in conscientia? R. affirm. Constat ex Apostolo ad Rom. 13. ubi inquit: *Ideo, & tributa præstatis, ministri enim Dei sunt, in hoc ipso servientes. Reddite ergo omnibus debita: cui tributum tributum: cui vectigal vectigal.* Tum etiam, quia sunt leges præceptivæ, & justæ, fundatæ in contractu naturali, & oneroso, quo Principes subditorum utilitati invigilant, & deservitur: ergo obligant sub gravi in conscientia; nec de hoc dubitare fas est.

112. Denique leges, sive præcepta, quæ imponuntur a Rectoribus aliquarum Universitatum, seu Collegiorum sub poena præstiti juramenti, solum obligant justa gravitatem materiæ. Unde si materia fuerit gravis, erit peccatum grave non adimplere juramentum; si levis, leve. Unde in *Clem. Exivi. de Verb. sign.* dicitur: *Eum, qui vovit servare certam regulam, & contenta in ipsa, solum obli-*

gari ad eorum observationem justa materiæ qualitate; sed major est obligatio voti, quod fit Deo, quam juramenti, quod fit hominibus; ergo, solum obligat iuxta gravitatem materiæ. Idem dicendum est de statutis aliquorum Collegiorum, quorum observatio juratur a Collegis. Juratur enim eorum observantia, pro ut est usu, & consuetudine recepta.

§. III. *De poena subeunda à transgressoribus.*

113. Inq. 1. Quomodo teneatur transgressor legis ad poenam, in ea taxatam?

R. 1. Quod poenæ spirituales latæ sententiæ incurruntur ipso facto ante sententiam Judicis: ut censuræ, & irregularitates. Similiter poenæ inhabilitantes in posterum, sive sint canonicæ, sive civiles. Idem est de impedimentis Matrimonii. Idem de poenis conditionalibus, ut si Parochus culpabiliter intra annum non ascendat ad Sacerdotium; & Episcopus non consecratur intra sex menses, privatur ipso facto beneficio; & Episcopatu. Etiam poena conventionalis, quæ sit moderata, & non reprobata a lege, debet ante sententiam Judicis solvi a violatore contractus.

114. R. 2. Poenæ temporales, quæ consistunt in privatione juris acquisiti, aut quod acquisitum coeptum est, & illas, quæ aliquam actionem ad sui expoliationem requirunt, non incurrunt ante sententiam Judicis, saltem declaratoriam criminis, etiamsi lex dicat: *ipso facto* incurrunt. Ratio est, quia lex non debet esse nimis rigida, sed suavi, aut morali modo observabilis; sed quod homo se privet bonis a se possessis, non auditus in judicio; est nimis rigidum, & moraliter inobservabile: ergo non est dicendum hunc esse legislatorum intentum. Itaque nullus tenetur se privare voce activa, & passiva, nec beneficiis, aut officiis, dignitatibus, aut aliis bonis, possessis ante sententiam Judicis. Eadem ratione Sacerdos, sollicitans in confessione, non privatur illico jure celebrandi.

115. R. 3. Teneri reum solvere poenam moderatam post sententiam Judicis, a qua non sit appellatio; quia poena mo-

derata, & proportionata delicto, justa est: ergo tenetur eam subire: si autem poena est ex illis, quæ reus exequi non potest absque specie crudelitatis, ut poena capitis, mutilationis, aut sumere venenum, nec Juxta potest præcipere, nec reus sibi inferre: quia licet poena sit justa quoad substantiam, injusta, & crudelis est quoad modum. Tenetur tamen reus ad talem poenam concurrere indirecte, nempe obediendo ministris justitiæ, ascendendo scalam, ut suspendatur, applicando guttur, ut juguletur, & manum porrigendo, ut abscondatur: quia talis cooperatio necessaria est, ut sententia exequatur.

116. Deinde non tenetur regulariter reus ad solvendas pecunias, nec ad exitium exequendum, nisi præcipiatur: quia executio est actio propria Judicis, vel ministrorum ejus. Denique non tenetur ad solvendam poenam, contra eum in lege latam, si in judicio veritatem negavit: nisi ex sua negatione damnus alteri inferat; quia non tenetur ex officio fateri veritatem, sed ex justitia legali, & non ex commutativa, ex qua solum oritur obligatio restitutionis; sed tenetur ad damnus, ex sua negatione veritatis sequitur.

117. Inq. 2. An teneatur Juxta applicare reo poenas, a lege taxatas? R. Si Juxta est Princeps supremus, valet remittere, aut minuere de eis causâ ostensionis pietatis, vel nobilitatis rei; aut ex alia rationabili. Verum caveat Princeps, ne ex nimia indulgentia improbi audaciores fiant. Juxta autem inferior nequit minuere, & minus augere poenas legis, nisi aliqua circumstantia sic fieri deponat. Non enim est legis dominus, sed custos; unde graviter peccabit, si notabiliter minuat poenas, præfixas a lege. At si eas augeat cum gravi præjudicio rei, ad restitutionem etiam obstringitur. Circumstantiæ, quibus commissum est delictum, jure possunt ad ejus poenas augendas, vel moderandas, ut si fuit perpetratum cum magna sævitiâ, vel e contra, cum imperfecta deliberatione.

118. Inq. 3. An Juxta, qui absque causa omittit applicare poenas, a lege taxatas, ad restitutionem teneatur? R. negat.

gat. Quia poena etiam pecuniaria non debetur fisco, aut alteri nisi post sententiam Judicis: ergo ista etiam injuste non prolata, non debetur illa. Sic tenet etiam Concina de poenis fisco, aut alteri applicandis in tractatu de Restitutione, licet in praesenti oppositum tuatur.

119. Inq. 4. An sententia data, possit illam Judex reformare, aut mutare? R. negat. Quia sententia semel data, & promulgata jam transit in rem judicatam, & fundus est Judex officio suo. Neque potest illam declarare authoritative, sed tantum doctrinaliter, sicut quilibet alius Doctor, quia finitum est judicium. Judex autem supremus valet, etiam authoritative, id efficere.

PUNCTUM V.

De lege fundata in praesumptione.

120. Inq. 1. Quotplex sit praesumptio? R. Est duplex: nempe praesumptio periculi, & praesumptio facti. Praesumptio periculi est, quae praesumit periculum, damnum, aut fraudem, & hoc supposito, procedit ad cavendum illud per leges: appellatur etiam praesumptio praesuppositionis, vel praesumptio juris: praesumit enim, quod ut in plurimum accidit, ideoque non proprie, sed late praesumptio dicitur. Praesumptio facti, seu definitionis est, quae judicat, & determinat ita esse in hoc, & aliis casibus, & ex hac praesumptione procedit ad aliquid decernendum.

121. Inq. 2. An leges, seu praeccepta fundata in praesumptione obligent in conscientia? R. Leges, seu praeccepta, quae fundantur in praesumptione facti, non obligant in conscientia, praeciso scandalo, quando fallit. Quia omnis lex justa solum intendit obligare, supposita veritate; sed dum fallit praesumptio, non datur veritas: ergo tunc non obligat in conscientia, quidquid sit de foro externo. Quare licet Judex praecipiat Cajus, ut cohabitet cum uxore, & debitum reddat; quia juxta allegata, & probata validum judicat matrimonium: Cajus, sciens certo subesse impedimentum dirimens, non tenetur, imo non potest debitum redde-

re, quia cum matrimonium nullum sit, sententia nititur falsae praesumptioni. Praecipit Judex, ut pecunias solvas Petro, qui per falsos testes probavit, te illas debere: si revera non debeas, solve non teneris propter eandem rationem; & sic de aliis.

122. Objic. 1. Tridentionum, irritans Matrimonium clandestinum, nititur praesumptioni de fraudibus, aut fallaciis; & tamen non valet tale Matrimonium, licet nulla interveniat fallacia, aut dolus ergo. 2. Idem Concilium, praesumens non adesse sufficientem deliberationem, irritat professionem factam ante decimum sextum annum expletum, & nihilominus non valet professio, etiam si daretur perfecta deliberatio in aliquo particulari. 3. Sixtus V. in Bulla contra judicarios praesumit pactum occultum cum Demone; & tamen licet tale pactum non adsit; incurrunt poenam denunciationis tales judicarii de futuris contingentibus. 4. Decreta Pontificia contra Confessarios sollicitantes fundantur in praesumptione, quod dicti Confessarii non recte sentiunt de fide; & nihilominus, licet sciens sollicitationem certo cognosceret confessarium solum ex passione sollicitare, & non quia male de fide sentiat, teneretur ad illum denuntiandum: ergo licet praesumptio deficiat, obligat lex fundata in tali praesumptione.

123. Resp. cum distinctione praesumptionis supra tradita, leges fundatas in praesumptione periculi semper obligare, & istius generis sunt leges, laudatae in objectionibus, in illis enim casibus lex non fundatur in praesumptione proprie dicta; sed in vero, prudentique judicio de his, quae frequenter accidunt: & ideo semper verificatur, licet in particulari damnum, aut fraus minime reperiat. Unde Legislator prudenter judicans semper subesse periculum, statuit legem pro omnibus casibus, licet sciat posse aliquando per accidens sine tali damno actus exerceri. Et haec est praesumptio periculi, seu juris. At in praesumptione facti contrarium evenit; quia procedit ex suppositione, quod ita res accidit, sicut praesumit: & ideo lex illa intelligitur sub conditione: Si ita factum contingat. Igitur, deficiente conditione, ne-

ces

cessario deficit lex. Conclusio autem procedit de hac secunda praesumptione, quae proprie praesumptio est; non de prima, quae lato modo praesumptio dicitur.

PUNCTUM VII.

De Lege irritante.

124. Inq. 1. An dentur leges irritantes? R. Affirm. Quia potest Legislator humanus statuere leges obligantes in conscientia, ita quod actus facti contra eam ordinationem sint omnino nulli, etiam in foro interiori. Expediit enim multoties homo communi, quod aliquae actiones, & contractus non solum sint illiciti, verum etiam irriti, & nulli; unde lex dicitur irritans, quando non solum actum prohibet, sed etiam nullum efficit, & declarat.

125. Inq. 2. Quotplex sit lex irritans? R. Est duplex. Alia ipso facto, ut professio Religiosa ante legitimam aetatem. Alia, quae in futurum praescribit irritandum, ut plures contractus, qui a jure rescinduntur post sententiam Judicis. Deinde; alia est explicita, ut cum actus expresse declaratur invalidus; alia implicita, ut cum aliqua solemnitas, aut conditio assignatur pro forma contractus. Praeterea; alia est poenalis, quae in odium transgressoris actum nullum decernit; alia pure irritativa, quae absque poena irritat actum. Lex irritans Matrimonium ob aliquod crimen, vel collationem simoniacam Beneficii, est poenalis, quia in poenam delicti irritat actum. Lex autem irritans testamenta, est pure irritativa, & non poenalis. Omnis lex irritans semper est odiosa, ideoque in benigniorem partem interpretanda, quia odia sunt restringenda.

126. Inq. 3. An omnis lex prohibens sit irritans? R. negat. Est communis Theologorum sententia: quia aliud est prohibere, ne aliquid fiat; aliud valde diversum irritare, ne valide fiat, & potest unum ab alio separari, ut patet in matrimonio valide, & non licite contracto ab habente votum simplex Castitatis, vel Religionis. Unde in cap. ad Apostolicam, de regul. dicitur: Multa

Tom. I.

fieri prohibentur, quae tamen facta tenent. Quando Legislator vult esse nullum actum, quem prohibet, ultra prohibitionem addere consuevit clausulam irritantem, ut in jure canonico, & civili saepe videtur.

127. Quando in lege assignatur talis solemnitas pro forma, semper intelligitur de forma substantiali, sine qua actus irritus est. Nulla enim res sine sua forma subsistere potest. Idem est, quando lex concedit delegato ad aliquem actum, facultatem, quam non habebat, ut ea utatur sub tali conditione, aut solemnitate, aut quando formam assignans, tollit facultatem aliter actum faciendi ab eo, qui alias talem facultatem non habebat; actus aliter facti sunt nulli, & irriti.

128. Sed si solemnitas, vel conditio, sub qua praecipitur actus, vel delegatur facultas ad actum, habeatur in jure pro forma accidentali, intelligendum est, illam conditionem assignari eodem modo, ac est in jure. Unde si in jure talis conditio, aut forma fuerit accidentaliter, validus erit actus, licet illa non apponatur: Ut si delegatus ad absolvendum, satisfacta parte, sine satisfactione partis absolvat, valida est absolutio, quia in jure talis conditio habetur pro forma accidentali. Idem accidere valet in Matrimonio, a Procuratore sine denunciationibus contracto.

129. Quando irritatio legis sequitur ad actum jam factum, non reddit illum irritum, sed irritandum per Judicis sententiam, ut si irritatur contractus, non soluta gabella, manet validus, licet illa non solvatur, donec per sententiam Judicis rescindatur; quia ut res poenalis computatur. Si vero irritatio antecedit, vel committitur actum, & non sit poenalis, statim sortitur effectum, ut in Matrimonio proprie clandestino, in testamento absque solemnitate, & similibus. Si vero sit poenalis, in poenam videlicet transgressionis, vel in odium transgressantis, etiam ipso facto manet nullus contractus, si incapax fuerit postea rescindendi, ut matrimonium, & religiosa professio: Si autem rescindibilis fuerit per judicem, ut contractus emptionis, & venditionis, & alii, licet fiat

R

con-

contra formam, a lege irritante præscriptam, non censetur irritus, nisi post sententiam Judicis.

130. Inq. 4. An ommissio conditionis, aut solemnitas requisitæ a lege irritante, reddat actum nullum in utroque foro? R. affirm. quia tales leges non fundantur in præsumptione facti, sed in præsumptione periculi; sed hæc semper adest: erg. leges in ea fundatæ, obligant in utroque foro. Quapropter testamentum minus solemne, alienatio bonorum Ecclesie, electio facta absque consensu Capituli, & alia hujusmodi nulla sunt, non solum in foro externo, sed etiam in foro conscientie. Unde nequit Legatarius compensare se de legato, sibi relicto in testamento minus solemn. Ommissio formæ substantialis non admittit parvitatem materiæ: nam forma substantialis tota in indivisibili consistit. Unde professio Religiosa est nulla ante decimum sextum annum completum, etiam ob defectum modici temporis.

131. Lex statuens poenas contra transgressores, si intendit punire animum, tunc transgressor subjacet poenæ, licet actus sit nullus: ut patet in sacerdote excommunicato sacramentaliter absolvente, qui poenam irregularitatis incurrit, licet absolutio sit nulla. Et in eo, qui absque dispensatione contrahit cum sanguinea, poenæ excommunicationis subjacet, licet matrimonium sit nullum. Quando vero lex irritans non intendit punire animum, sive temeritatem, sed actum ipsum, transgressor non incurrit poenam, quia quando hæc imponitur pro actu, intelligenda est pro illo, qui vere est talis; & non est vere talis actus, qui per legem est nullus. Unde Prælati, excommunicantes sine forma præscripta, & solemnitate assignata *Cap. 1. de sent. excom. in 6.* non incurrunt poenas, pro ipsis ibi impositas.

#### PUNCTUM VIII.

##### De obligatione legis dubie.

132. Plura dubia occurrere possunt circa diversas leges particulares; sed quia ad proprios tractatus spectant, hic so-

lum de generalibus dubiis circa leges agimus.

133. Inq. 1. Quotuplex sit dubium circa operationem? R. aliud *præcticum*, ut cum quis hic, & nunc operatur contra legem, non deposito dubio, & iste in communi sententia semper peccat, quia exponitur periculo formalis transgressionis legis: Aliud est *speculativum*, & est compatibile cum practico, licet possit remanere sine isto, quando nimirum dubium practicum deponitur per aliquam rationem solidam, & prudentem, quia iudicat licere hic, & nunc operari, adhuc stante dubio speculativo. Sed difficultas gravis est, quando liceat deponere dubium contra legem, de qua dubitatur.

134. Inq. 2. Quotuplex sit dubium circa legem? R. Est quintuplex 1. ex parte legis: Ut si dubites, an lex posita sit, aut promulgata. 2. Ex parte rei præceptæ: Ut quando certus es de lege, aut præcepto, dubitas vero, an res mandata justa sit. 3. Ex parte Legislatoris: ut cum dubitas, an sit legitime electus, vel de potestate illius. 4. Ex parte adimpletionis, ut cum dubius es, an impleveris legem justam. 5. Denique ex parte inceptiois, aut cessationis legis; ut cum dubitas, an tempus advenerit, quo incipiat lex obligare, vel præterierit tempus obligationis. Quibus suppositis.

135. Inq. 3. An in dubio legis observari debeat? R. 1. quod in dubio an lex sit lata, aut promulgata, debet observari. Licet assertio maneat sufficienter probata ex dictis in tractatu de conscientia dubia, suadetur etiam, evertendo præcipuum fundamentum sententiæ oppositæ. Ideo juxta sententiam contrariam non obligaret lex dubia, quia possessio stat pro libertate, & melior est conditio possidentis; sed hæc ratio non tenet. Probat minor: quia possessio ex parte libertatis non est certa; sed quando possessio non est certa, non est melior conditio possidentis: ergo ratio contraria non tenet. Probat major: possessio, de qua alii affirmant, alii negant, non est certa, sed litigiosa; sed talis est possessio libertatis contra legem dubiam, cum plures, & graviore Authores illam impugnent: ergo non est certa, &

con-

#### Cap. III. De Obligatione Legis.

consequenter non faveat illa regula, *melior est conditio possidentis*; sed potius alia, *in dubiis tutior pars est eligenda.*

136. Ex quo sequitur, quod in dubio an lex lata, & promulgata extendatur ad hoc, vel illud subjectum, vel ad hunc, vel alium casum, propter diversas circumstantias occurrentes, debet etiam observari: Ut certus de lege jejunii, dubitans autem, an ratione alicujus circumstantiæ excusetur, debet jejunare, nisi infirmitas, labor, aut alia justa causa illum eximat ab obligatione. Eodem modo dubius, an abrogata sit lex, vel dispensatus in ea, tenetur ad illius observantiam. Similiter sciens legem esse latam, & promulgatam; dubitans vero, an sit recepta, adimplere illam debet, quia in his omnibus lex certo possidet.

137. Resp. 2. Quod si dubium sit, non ex parte legis, sed ex parte rei præceptæ, an justa sit, utilis, aut necessaria, obligat ad sui adimpletionem. Ut Miles dubitans de justitia belli, vel subditus etiam cum opinione probabilis de injustitia præcepti, tenetur superiori legitimo obedire: quia nec ad Militem, nec ad subditum pertinet judicare de mandato superioris. Quod intelligendum est, præcisio periculo infamiæ, & damni tertii, quia in hoc casu (loquendo de subdito respectu Prælati) magis expedit obedire Deo, quam hominibus, ut docet D. Thom. 2. 2. q. 104. ar. 5.

138. Resp. 3. Quod dubitans circa potestatem superioris, ut, an sit rite electus, vel confirmatus; similiter de adimpletionem legis, ut clericus dubitans, an persolverit officium divinum, aut partem illius; Item an tempus advenerit, seu præterierit, in quo lex obligat: ut qui dubitat, an viginti, & unum annos impleverit, seu contra, an ætas senilis advenerit, & aliis similibus, omnes isti tenentur ad legem observandam, secundum regulam generalem. *In dubiis tutior pars est eligenda.*

139. Hinc infertur, quod dubitans de hora duodecima noctis, & comedens, vel bibens, non potest crastina die missam celebrare, neque Eucharistiam sumere, & idem est de eo, qui dubitat, an aliquomodo Jejunium naturale fregerit, tum quia lex de sumptione Eucharistiæ in je-

junio naturali semper obligat: non enim pro hoc, vel illo die, sed generaliter loquitur: *Nemo accedat non jejunus ad hoc sacramentum*: ergo possessio hujus legis, semper est pro omni tempore. Tum quia dubius de jejunio naturali, accedens ad Eucharistiam, periculo se exponit: ergo nullo modo est licitum. Tum denique, quia in hoc dubio potissimum debet tutior pars eligi ob reverentiam tanti sacramenti.

#### PUNCTUM IX.

*An periculum gravis damni, vel mortis excuset ab obligatione legis.*

140. Pro resolutione præsentis difficultatis recolenda sunt, quæ diximus circa metum gravem tract. 1. a. n. 99. eadem enim est difficultas circa metum, ac periculum: an scilicet obliget lex cum metu, aut periculo gravis damni: circa quam varia sunt placita Doctorum, sed veriorem, & communem sententiam triplici conclusione exponimus.

#### §. I.

##### Resolvitur dubium.

141. Prius tamen nota, quod licet metus reverentialis dicatur etiam a plerisque metus gravis; verum pro præsentî disceptatione raro, aut vix admitti valet, nisi simul adjungantur minæ, aut verum periculum gravis damni.

142. Dicendum est 1. Leges canonicas, aut civiles regulariter non obligare cum periculo mortis, aut gravis damni. Prob. ratione: quia conservare vitam, famam, & similia est de jure naturali: Ergo non potest præcipi lege humana, quod vitæ, aut ejus conservationi obstet, absque urgentissima causa, quæ raro, & non regulariter adest. *Confirmatur*: quia homo non tenetur obedire homini in his, quæ ad conservationem corporis spectant, ut docet D. Th. *ubi supra.*

143. Dicendum est 2. Obligare aliquando legem humanam etiam cum periculo mortis, aut gravis damni, quando id expediens fuerit ad bonum commune: ratio est, quia Legislator habet potestatem

tem præcipiendi id, quod expedit ad conservationem reipublicæ; sed ad hoc quandoque est necessarium, quod aliquis se exponat periculo mortis, aut gravis damni: Ergo potest sic obligare. Illustratur exemplis. Est civitas obsessa, & periclitatur multitudo, præcipit Dux præliari, tenentur milites etiam cum periculo vitæ obedire. Tibi præcipit portam defendere, teneris etiam cum periculo mortis, quia conservatio civitatis tuo particulari commodo debet præponderare: grassatur pestis per urbem, præcipitur tibi ministrare infirmis, aut sacerdoti sacramenta illis impartiri; tenentur assignati ministerium implere, etiam cum vitæ dispendio, & sic de aliis.

144. Verum est, quod licite potest quilibet ex charitate, vel ob motivum alterius virtutis se exponere periculo mortis. Unde juste condemnatus ad mortem, & si posset fugere, potest etiam non fugere, & mortem patienter sustinere. Potest etiam quis peste infectos visitare, inservire, sacramenta ministrare, licet non teneatur, nec ex mandato superioris, nec ex officio, ut Parochus. Licite valet donare in naufragio tabulam alteri cum periculo propriæ vitæ. Potest etiam quisque castitatis amore abstinere a secreta curatione, aut a Matrimonio necessario vitæ servandæ, & sic de aliis. Quæ omnia intelligenda sunt cum non sit persona multum bono communi necessaria, & fiant ex motivo virtutis.

145. Dicendum est 3. quod etiam lex divina, & naturalis aliquando obligat cum gravis damni, aut mortis periculo; aliquando tamen non obligat cum tali præiudicio. Primi generis sunt ea, quæ ab intrinseco sunt mala, ut mentiri, fornicari, perjurare, blasphemare, & similia: hæc enim omnia obligant in conscientia, ne fiant etiam cum periculo vitæ. Et similiter transgressio legis divinæ, aut humanæ facta in derisum, aut contemptum Religionis, aut alterius virtutis. Ut carnes comedere die prohibito, aut jejunium frangere, si ob contemptum Religionis, aut legis ad id cogaris: quia ab intrinseco est malum agere propter hos fines. Quapropter celebratur fortitudo Eleazari, qui elegit potius gloriosam mortem subire, quam carnes porcinas

contra legem manducare: & septem Machabeorum, qui ad vitandum Religionis contemptum, mortem gloriose pro lege subierunt. 2. *Machab.* 6. & 7.

146. Secundi generis, nempe, quod lex divina, vel naturalis aliquando non obligat cum periculo vitæ, patet in David, qui in extrema necessitate manducavit panes propositionis laicis prohibitos. 1. *Reg.* 12. quod approbatur a Christo Domino, eo exemplo Discipulos defendens a calumniantibus, quod contra præceptum divinum de observatione sabbathi laborarent in sabbatho, spicas colligentes ad sustentationem. *Matth.* 12. Similiter non occidere alium est de jure naturæ; & tamen potest invasor injustus occidi ob defensionem propriæ vitæ: idem est de præcepto non furandi, quod cedit in extrema necessitate; secretum denique naturale potest revelari ob periculum mortis.

147. Igitur regula generalis sit: quando, id quod præcipitur, est hic, & nunc utilius bono communi, aut Religionis, quam vitam particularis conservari arbitrio prudentum, lex obligat cum periculo mortis; alioquin, non obligabit cum tanto dispendio. Quia bonum commune præponderare debet bono particulari: ergo quoties bono communi expedit, ut subditus se exponat periculo mortis, debet obedire. E contra superior non habet jus imperandi cum gravi detrimento subditi, nisi in ordine ad conservationem boni communis, nec est Dominus vitæ, sicut Deus: ergo nisi conveniat bono communi, quod subditi morti se exponat, id non poterit imperare,

## §. II.

## Solvuntur argumenta.

148. Objic. 1. Contra primam conclusionem. Omnis lex justa ordinatur ad bonum commune; sed id, quod expedit bono communi, obligat etiam cum detrimento particulari: ergo lex justa obligat cum detrimento vitæ. Resp. quod licet lex justa ordinetur ad bonum commune; non tamen in omni casu exigit bonum commune prodigere vitam particularis pro illius observantia, nec obligat

gat cum detrimento gravi; ut patet in jejunio, abstinentia a carnibus, auditio- ne sacri, quæ in omnium sententia non obligant cum notabili præiudicio salutis.

149. Objic. 2. Lex clausuræ obligat moniales, licet laborent gravissimo morbo, cujus remedium foras invenirent, licet mors sequenda certa sit absque tali remedio: ergo lex justa obligat etiam cum periculo mortis. R. Moniales teneri non egredi a Monasterio, etiam si certo scirent propter ægritudinem ibi absque remedio morituras: tum quia majoris momenti est clausura monialium ad decorem, & honestatem, proindeque ad bonum commune, quam vita particularis, ne aditus pateat multoties frangendi clausuram cum magno detrimento totius status virginalis.

150. Hoc scite prævidit, ac penetravit illuminata doctrina, & prudentissima Virgo Seraphica Mater Theresia, quæ rescribens Patri Gratiano circa translationem cujusdam monialis infirmæ dicit: *Aunque yo tenia licencia de nuestro Padre General, que se la pedí, para que quando a alguna biciese mal la tierra, se pudiese mudar a otra: despues he visto tantos inconvenientes, que si no fuese por provecho de la Orden, no me parece se sufre; sino que es mejor se mueran unas, que no dañan a todas: Tom. 2. epistola 35. n. 2.* Pius V. indulget monialibus egredi a Monasterio ob mortis periculum tribus casibus. 1. est incendium, ad quem reducitur inundatio, & incursio hostium. 2. est lepra, seu alius morbus contagiosus. 3. est pestis. Alii tres sunt consuetudine introducti cum facultate legitima. 1. si deferatur monialis, ut præsideat alteri Monasterio. 2. Ratione delicti, quod in proprio Monasterio nequeat congruenter puniri. 3. Translatio Conventus ad alium. Extra hos casus non valent moniales a clausura exire.

151. Objic. 3. Abstinentia a carnibus obligat Carthusianos cum periculo mortis: ergo lex humana potest obligare etiam cum periculo mortis. R. Quod si Carthusianus non haberet alios cibos, teneretur vesci carnibus ad sustentationem vitæ; attamen dum aliis cibis vesci potest, lex, aut consuetudo abstinendi a carnibus adeo viget apud illos Religio-

Tom. I.

sissimos Patres, ut merito præponderare credatur vitæ cujuscumque particularis. Multum enim interest bono communi, & explendori illius Religionis, quod abstinentia adeo sacra cum toto rigore conservetur, & ne detur aditus ejus relaxationi ob particularis personæ damaum.

## PUNCTUM X.

## De actibus ad legem implendam requisitis.

152. Inq. 1. Qui actus requirantur pro legis adimplentione? R. Quod requiritur, & sufficit appositio voluntaria rei præceptæ; sic enim habetur voluntas, & intentio ponendi libere rem præceptam, quæ quidem necessaria est ad legem implendam, qui actus, quo lex impletur, debet esse humanus; ut autem sit humanus, ab intentione agendi, vel omittendi procedere debet, igitur semper, ac verificetur appositio libera rei præceptæ, fit satis legi, aut præcepto. Quidam ajunt præcepta negativa impleri posse absque ullo actu, imo sine intentione, & libertate, ita Concina in præsentibus; verum licet ad sit differentia inter præcepta negativa, & positiva, quod ista actum, illa omissionem ad sui impletionem despoant; nihilominus sine libertate nullum præceptum vere impletur. Aliud est non frangere præceptum, aliud implere præceptum: ad primum nullus actus requiritur in his præceptis, ad secundum vero requiritur omissio libera actus prohibiti; alias etiam lapides impleant præceptum v. g. non furandi.

153. Unde, qui omnino coactus apponeret actum a lege præceptum, non satisfaceret præcepto, ut qui violenter detentus audiret sacrum, minime implet præceptum de sacro audiendo, idem est suo modo de eo, qui omnino oblitus omittit furtum, qui licet non furetur, non implet tamen præceptum. Præcepta igitur negativa nullum actum externum ad sui impletionem requirunt, imo illum prohibent: attamen sine libertate non impleantur, ita ut adsit meritum. *Dices:* ergo, qui nunquam cogitavit de non furando, aut occidendo transgreditur hæc præcepta. R. neg. conseq. quia ad vio-

S

lan-

landa præcepta, etiam negativa, requiritur aliquis actus, saltem interior, ea violandi, quo deficiente, non datur transgressio. Ubi enim non est voluntas, non est transgressio, nec adimpletio formalis: omnino igitur oblitus, nec transgreditur, nec adimplet formaliter præcepta.

154. Inq. 2. An, qui ex metu gravi ponit rem præceptam satisfaciatur præcepto? R. affirm. quia metus non tollit libertatem, nec voluntatem. Unde pueri, qui metu flagellationis missam audiunt, præceptum eam audiendi adimplent. Verum est, quod si quis haberet hunc animum: *nisi immineret poena, non adimplerem præceptum*, peccaret graviter, quia voluntas, non implendi præceptum, est prava. Cæterum, si hoc solum haberet habitualiter, quia ita est dispositus, quod nisi poena immineret, non implet præceptum, non peccat, quia habitibus nec meremur, nec demeremur. Unde iste actus, *si non esset infernus, peccarem*, est malus. Iste autem, *non pecco, quia est infernus*, est bonus.

155. Inq. 3. An eodem actu possint plures leges impleri? R. quod in materia iustitiæ ad distincta debita solvenda requiruntur distincti actus, sive entitative, sive virtualiter, ut si debeas Petro centum ex contractu, & totidem ex furto, teneris ad solvenda ducenta, sive distinctis actibus, sive eodem virtualiter distincto. Si debes applicare duas Missas ex iustitia, non potes eodem actu eas solvere.

156. Possunt tamen unico actu impleri plura præcepta extra iustitiam, si cadunt supra eandem materiam, sic satisficit unica Missa auditione præcepto diei dominice, & alterius festi occurrentis: Eodem jejunió, eademque abstinencia a carnibus fit satis præcepto quadragesimali, & quatuor temporum; atque idem est, quando vigilia alicujus sancti incidit in feria sexta, quia hæc præcepta cadunt supra eandem materiam, & ex eodem motivo.

157. Si vero præceptum superveniens procedit ex diverso motivo, licet cadat supra eandem materiam, deponit regulariter distinctum actum, quia sic communiter mandantur novum onus imponere. Ut si habeas votum jeju-

andi, & imponat tibi Confessarius jejunium, debes duplici die jejunare. Pariter, si tibi jubeat Confessarius bis, aut ter sacrum audire, non satisfacis auditione, ad quam teneris diebus festis, nisi jubeat, ut Missam audias omni die per mensem, aut annum; tunc enim non teneris aliam dictis festis audire. Si dubitetur de intentione mandantis, & nequeat consuli, judicandum est novum actum exigere, quia tutior pars est eligenda.

158. Inq. 4. An eodem tempore possit pluribus præceptis satisfaceri? R. vel actus sunt compatibles, vel non; si primum, potest, ut horas canonicas, vel poenitentiam a Confessario impostam recitare, dum auditur Missa, quia attentio ad poenitentiam, seu horas recitandas compatibilis est cum attentione ad Missam. Si Confessarius imponat duas, vel tres Missas audiendas, debent audiri diverso tempore, juxta consuetudinem Ecclesiæ: si secundum, nequeunt eodem tempore impleri plura præcepta; ideoque, non satisfacit præcepto audiendi sacrum, qui simul sua peccata confitetur.

159. Qui pluribus titulis, ut ex voto, poenitentia imposita, & ratione festi tenetur audire Missam, & non advertens ad hæc diversa debita, rem præceptam apponit eodem tempore, censetur debito urgentiori satisfacere, quod in hoc casu est præceptum sanctificandi festa. Quando concurrunt duo præcepta, si utrumque observari nequeat, superius est observandum: Qui non valet totum præceptum observare, & sit divisibile, ad partem tenetur.

#### PUNCTUM XI.

##### De intentione ad legem implendam requisita.

160. Inq. 1. An pro lege implenda requiratur intentio eam adimplendi? R. negat. quia intentio implendi præceptum est actus obedientiæ formalis, qui licet sit optimus, & consulendus, non tamen exigitur a superioribus. Nisi expresse jubeant aliquando finem extrinsecum, puta jejunare ad pluviam petendam, vel ob aliam necessitatem; tunc enim ipse finis est pars materiæ præceptæ, & de-

bet

bet subditi se conformare cum fine, & intentione præcipientis. Regulariter vero sufficit ponere libere opus præceptum, ut cuicumque legi, aut præcepto fiat satis. Ita D. Tb. 1. 2. q. 100. a. 9. & 10.

161. Inq. 2. An si quis immemor diei festi, aut præcepti, vel cum animo non implendi pro tunc præceptum, audiat Missam primo mane, teneatur subinde aliam audire? R. neg. quia supponitur libere positum opus præceptum; ergo re ipsa satisfacit præcepto. Hæc est communior, & probabilior sententia, quid quid inficietur de more Concina in præsentia, rejiciens hanc questionem inter illas, quas vanas, & frivolas appellat. Sed casus revera frequens est, non solum inter personas scrupulis agitatas, sed etiam devotione, & discretione pollebentes. Contingit enim non semel, quempiam audire Missam primo mane, ex sola devotione, animo non satisfaciendi tunc præcepto, intendens aliam postea audire; in quo nulla apparet stultitia. Deinde autem, mutato animo, propter aliquam occupationem, vel aliam causam, inquit ille, an satisfecerit præcepto.

162. Respondetur ergo, revera satisfecisse præcepto: quia voluntarie, & libere posuit auditionem sacri; tenetur autem revocare animum, & ponere intentionem adimplendi cum illa auditione; peccaret enim mortaliter, si in voluntate perseveraret, non adimplendi præceptum toto tempore apto ad illud exequendum: non quia operatur contra præceptum audiendi sacrum; sed quia agit contra præceptum naturale prohibens animum non adimplendi præceptum: si vero non recordatur postea illius animi, nullum peccatum committit.

163. Hæc doctrina assertur a Concina in tractatu de voto, ibi enim dicit, quod si votum reale præstitum est reigsa, inscio, imo, invito volente, hic solum tenetur poenitere de sua resistantia præterita, non vero ad promissum demum solvendum: ergo a fortiori hoc videtur dicendum in casu præsentis. Vid. tract. xxvi. a. 10.

164. Objic. Si quis centum deberet Petro, & ex pura liberalitate totidem daret, teneretur postea centum debita ex

justitia solvere: quia dare ex liberalitate, & solvere ex justitia est longe diversum: ergo idem de lege, aut præcepto. Resp. negando consequentiam: qualicet aliqui auctores asserant non teneri solvere eum, qui ignorans debitum, centum gratiose dedit creditori; cæterum verius est oppositum, quia speciale est in debitis ex justitia requiri intentionem satisfaciendi debito: cum enim justitia petat æqualitatem inter rem, & rem, nequit fieri adæquatio per unam rem cum illa, quæ duplici titulo debetur, vel ex mera liberalitate donatur.

165. Inq. 3. An aliqua leges, & præcepta etiam divina naturalia possint adimpleri per actum ex se bonum, licet malo fine vitium? R. affirm. Patet in præceptis correctionis, & elemosinæ, pietatis, temperantiæ, & similium. Nam semel, quod apponatur opus præceptum, adimpletur obligatio, licet alias suis pravis vitiet actum: & ratio omnium est, quia finis præcepti non cadit sub præcepto, quod intelligitur de fine extrinseco. Nec leges jubent modum virtutis, sed ipsam virtutem, ut homines tenent cum D. Thom. ubi supra. (Non enim Legislatores præcipiunt regulariter, ut hoc fiat propter illud, sed, ut hoc fiat: In quo differt præceptum charitatis ab aliis, quia respicit immediate ad se, ultimum finem divinum, & sic impleri non potest cum prava intentione finis creati, deponit enim actum, non solum moraliter, sed etiam formaliter bonum, & meritorium, ut ex se patet.)

166. Objicies 1. Non dubium. *Ca. de leg. contra legem ff. Cod. tit. dicitur: Is in legem delinquit, qui legis verba amplexens, contra legis spiritum voluntatem, & intentionem.* Sed intentio, & voluntas legis est facere bonos: ergo delinquit contra legem, qui per actum malum legis mandatum adimplet. Respondi duplicem esse finem legis: intrinsecum, videlicet, & extrinsecum. Intrinsecus est proprius illius virtutis, cujus motivo præcipitur: Ut finis intrinsecus jejunii est temperantia. Finis autem extrinsecus est quilibet alius, additus a Legislatore: Ut in exemplo jejunii potest esse elevatio mentis in Deum, vel refrenatio cupiditatum, vel placatio distans vindictæ.



... , ut in Ninivitis. Qui ergo libere ponit actum præceptum a lege, adimplet intentionem, & finem intrinsecum legis, quod sufficit ad satisfaciendum legi, aut præcepto; licet alias ob circumstantiam vitiosam non obtineatur finis extrinsecus legis, non necessarius ad ejus adimpletionem.

167. Inq. 4. An peccet contra legem, qui impedimenta ad eam observandam voluntarie apponit? vel apposita non remouet, dum commode, & sine gravi damno potest? R. affirm. quia Legislator, qui mandat finem, etiam jubet apponi media ad talem finem necessaria; sed non apponere impedimenta, vel ea remouere, cum commode possit, sunt media necessaria ad finem: ergo, qui ponit impedimenta, vel ea non remouet, si commode possit, peccat contra legem. Unde, qui se inebriat, præuidens se hominem occisurum, peccat etiam contra iustitiam, & præceptum prohibens homicidium: qui cum facile possit, non curat absolvi ab excommunicatione tempore, quo constat præceptum communionis Paschalis, peccat contra illud. Similiter, qui vacat ludis, vel studio tempore, quo audire sacrum, vel officium recitare reperitur, non excusatur a peccato. Idem dicimus de Clerico eijciente breuiarium in mare tempore navigationis.

168. Sed notandum est, quod licet Clericus, projiciens breuiarium in mare, violat legem recitandi non solum in ipsa projectione, sed etiam in omissionibus tota navigatione secutis; attamen si vere, & ex corde peniteat, jam non peccat in ulterioribus omissionibus, quia licet infuit phisice in illas, non vero moraliter: quia recitatio non est illi moraliter possibilis, cum non habeat aliud breuiarium, ut supponitur. Et idem philosophandum est circa alia similia, ut circa infirmitatem voluntarie assumptam, & laborem non necessariam causam effugiendi præceptum.

C A P U T I V.  
De subjecto, & materia legis humane.

H Abita notitia de natura legis, de potestate illam ferendi, & obligatio-

ne, quam inducit, sequitur nunc agendum de subjecto, & materia in quibus suam vim exerceat.

P U N C T U M I.

De subjecto legis humane.

169. Inq. 1. An Princeps teneatur suis legibus? Tria supponimus 1. quod in lege datur vis directiua, quæ respicit culpam, & coactiua, quæ applicat pœnam. 2. Quod materia legis quandoque est communis tam subditis quam principi; quandoque solis subditis conueniens. 3. Quod Legislator aliquando est Princeps supremus habens regimen monarchicum, & de isto est difficultas; nam ceteri requirentes assensum Procuerum, vel Communitatis ad condendam legem, abs dubio tenentur, sicut alii subditi, suis legibus obedire; etiam quoad vim coactiuam; quia est pars, licet spectabilior, Communitatis: quibus suppositis.

170. Resp. Principem supremum teneatur quoad vim directiuam, non coactiuam, legibus a se latis, quarum materia etiam ipsi congruit. Prob. 1. ex D. Ambrosio lib. 5. epist. 3. ad Valentin. Imper. dicens: Quodcumque præcepisti aliis, præcepisti etiam tibi: leges enim Imperator fert, quas primus ipse custodiat. Prob. 2. ex D. Thom. 1. 2. q. 96. arr. 5. ad 3. ubi postquam retulit textus juris Canonici, & ex Evangelio, concludit: Unde quantum ad Dei iudicium, Princeps non est solutus a lege quantum ad vim directiuam ejus. Tenetur igitur legibus suis Princeps, quoad conscientiam: ita ut si illas violet sine dispensatione iusta in materia graui, peccet graviter.

171. Prob. ratione: quia Princeps subijcitur huic obligationi iure naturali; & quia enim naturalis, & munus Principis postulat conformitatem inter caput, & membra ejusdem corporis, ut aliud doceat verbo, & aliud exemplo: ergo tenetur, sicut subditi, quoad vim directiuam ad leges a se latis. Non vero subijcitur illis quoad vim coactiuam, quia nemo potest cogere se ipsum, ut ait D. Th. loco citato: omnes vasalli a fortiori tenentur legibus sui Principis quoad utramque vim directiuam, & coactiuam.

172. Inq. 2. Qui teneantur legibus summi Pontificis in materia spirituali? R. omnes Christi fideles pro toto orbe terrarum. Unde hæretici obligantur legibus ecclesiasticis, & peccant transgressores earum, quia hæretici velint, nolint, sunt subditi Pontificis: per baptismum enim ingressi sunt ecclesiam, ejusque membra effecti, subindeque legibus ecclesiasticis astringuntur: Ex quo plane infertur Matrimonia contracta ab hæreticis cum impedimento dirimente, etiam iure ecclesiastico, esse nulla, & invalida. Unde si ad veram fidem convertantur, illorum Matrimonia sunt renovanda, impetrata prius legitima dispensatione. Nec valet dicere, quod hæretici resistunt ecclesie, Pontifici, ac ejus legibus, quia non resistunt iure, sed tantum facto: quo efficiunt graviora sua peccata. Ut dicitur Cap. ult. de consuetud.

173. Ex opposita ratione Judæi, Sacerdotes, Pagani, & Cathæcumeni non obligantur legibus Ecclesiasticis, ut patet ex cap. Gaudemus, de diuort. ubi allegatur illud Apostoli. 1. ad Corinth. 5. 12. Quid enim mihi de his, qui foris sunt iudicare? Si vero Judæi, alii infideles subsint potestati temporali Ecclesie, ut accidit Romæ; tunc obligantur servare leges, ipsis impositas; non minus, ac tenentur obedire legibus alterius Principis secularis, in cujus territorio morantur.

P U N C T U M I I.

An Religiosi exempti teneantur legibus, aut statutis Synodalibus?

174. Inq. 1. Quid, & quotplex sit exemptio? R. est educio, seu liberatio alicujus de potestate alterius. Est duplex, nempe personalis, & localis. Illa afficit personam ubique; ista vero locum. Regulares autem exemptos utraque gaudere exemptione est commune inter Authores. Nisi aliquis eorum fungatur officio Parochi; Nam eo ipso subijcitur, sicut ceteri Parochi, statutis Synodalibus, & legibus Ordinarii circa munia Parochialia: tenetur etiam assistere Synodo Diocæsanæ, ad quam exempti (Capitulo Generali subjecti) concurrere non tenentur,

ut constat ex Trident. sess. 22. cap. 2. de reformat.

175. Inq. 2. An Regulares exempti debeant observare leges, & statuta Synodalia, aut Provincialia? R. 1. debent ea observare in omnibus casibus, qui sunt expressi in jure: sic in Concilio Trident. sess. 25. de regul. cap. 12. decernitur: Ut censura, & interdicta ab Ordinariis promulgata, mandante Episcopo, a Regularibus in eorum Ecclesiis publicentur, & observentur. Idem, ut dies festi, quos in Diocesi sua Episcopus servandos præceperit, ab exemptis omnibus, etiam Regularibus, seruentur. Idem est de aliis casibus expressis in jure, in quibus Regulares ad eorum observantiam tenentur, & accurate observant; venerando Episcopos tanquam Principes, Patres, & Doctores Ecclesie: sunt etenim.

176. R. 2. Religiosos exemptos non teneri legibus, & statutis Synodalibus, aut Provincialibus præter casus in jure expressos. Prob. ex Cap. 1. de Privilegiis in 6. Ubi dicitur, Regulares non teneri parere Episcopis, salvo casibus aliis, in quibus jurisdictioni Episcoporum subesse canonica præcipiant instituta. Ergo ad alia statuta non tenentur.

177. Prob. ratione: quia Regulares exempti sunt a jurisdictione Ordinarii, & solum summo Pontifici, & propriis Prelatis immediate subjecti: ergo ligari nequeunt legibus Synodalibus, aut Provincialibus: cum nullum agens possit agere extra suam spheram. Confirm. 1. Quia omnes Clerici vocati ad Synodum, ubi de toto Clero agitur, tenentur adesse, ea ratione in jure assignata, quia eum tenentur legibus in ea sanctis, debent ipsarum notitiam capere, & ad alios derivare: Ergo Regulares exempti cum non teneantur adesse, signum est non ligari statutis ibi sanctis. Confirm. 2. Quia Concilium Tridentinum dicens Regulares exemptos teneri ad observandum censuras, & festa Synodalia; eo ipso iudicat eos liberos a ceteris statutis Episcopalis in jure non expressis; si enim iudicaret illos ad omnia teneri, superfluum foret præcipere eis observantiam duorum: ergo non tenentur ad alia in jure non expressa; sicut a simili, quia